DE LVCANI SCHEDIS RESCRIPTIS VINDOBONENSIBVS.

Iandudum uiris doctis cognitum erat, perantiquum Lucani emendandi adiumentum Vindobonae seruari, constans octo schedis codicis cuiusdam rescripti, librorum V et VI uersus numero CCXXXX continentibus. Quas schedas Eichenfeldus descripserat in Annalium Vindobonensium tomo XXVI supplem. p. 14 sq. conlationem eorum uersuum quos legere poterat adiciens. Hac descriptione nixus ipse olim, cum de aliis codicibus Lucano emendando inseruientibus disputarem, nonnulla ieci potius quam conieci, non ut his schedis suum in emendando Lucano locum certo tribuerem, sed tantum ut eis ad sententiam meam de interpolationibus in Lucano factis confirmandam uterer, reliqua quae de eis dici possent, posterum in tempus differens. Quibus de schedis ut nunc paullo confidentius agere possim, uiri cuiusdam doctissimi, quocum olim in litterarum uniuersitate Rhenana grato studiorum commercio coniunctus fui, D. S. ***Detlefseni*** diligentia effectum est, qui ante hos duos annos in Philologi tomo XIII. p. 313—357 nouam multoque pleniorem schedarum illarum descriptionem praebuit, ipsarum schedarum imaginem tam accuratam adiciens, ut iam qui eis ad Lucanum emendandum usurus sit, earum ipsarum inspectione paene carere posse uideatur. Detlefsenus autem non hoc tantum praestare uoluit, ut externam schedarum speciem nobis ante oculos poneret, sed etiam de earum in Lucano emendando usu docte atque copiose disseruit. Atque, ut fit, in eis quae Detlefsenus proposuit insunt quae probanda nec non quae minus probanda esse uideantur, praesertim cum ei optimorum codicum integrae conlationes praesto non fuerint. Itaque cum ipse iandudum in Lucano emendando studia mea collocauerim, neque excusatione egebo et operae pretium facturus esse uideor, cum hac programmatis scribendi opportunitate oblata ea, quae Detlefsenus in commentatione sua proposuit, diligentius examinauero. Quae commentatio cum duabus partibus constet, quarum priore de uersuum qui in schedis leguntur scriptura actum, posteriore autem de ea quae integri olim fuerit codicis specie disputatum est, ego quoque hanc meam scriptiunculam bipertitam esse uolui, ita tamen ut, cum in eis, quae posteriore ille loco posuit, multa insint quae contra me disputauit, haec priore loco tractem, tum autem de uniuersa scripturae discrepantia meum iudicium copiosius exponam.

Detlefsenus enim magna cum diligentia, si non integri codicis, eius tamen partis, quae continebat libros I—VI, pristinam formam indagare conatus est. Cuius hae fere sunt rationes.

Cum in schedis illis cuiusque paginae quini deni uersus sint, dubitari nequit quin omnium paginarum, ut fieri solet in tam antiquis libris, idem fuerit numerus, ita ut cuiusque schedae tricenos fuisse uersus dicendum sit. Schedarum autem prima cum incipiat a libri V uersu 31, hinc quam certissime consequitur, ab integra scheda librum inceptum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse. Vnde probabile fit, totum codicem a librario suo ita fuisse exaratum, ut cuiusque libri ab integra scheda initium factum sit. Cui ratiocinationi cum hoc opponi possit, libri sexti schedam primam relicuam (in numero schedarum superstitum sexta est) non a uersu 211 sed ab eo qui est 215 incipere, huius libri quattuor uersus ante uersum 215 positos eiciendos censet. Quam coniecturam praeterea probari ipsarum membranarum natura, unde magna cum probabilitate conici possit, nouum a libro V incipere octonarum schedarum uolumen, quem *quaternionem* hodie dicere consueuimus, cuius secunda scheda ea fuerit, quam nunc primam numeramus. Vnde cum consequatur, in extrema cuiusque libri scheda pauciores uersus fuisse, nihil certi statui posse de numero eorum uersuum, qui sunt a libri V uersu 301 usque ad finem. Sine ratione igitur a me factum esse, quod huius libri uersus 315, 611—13, 79$\frac{5}{6}$ eiecerim; eos potius seruandos esse, ne extrema libri scheda scriptura prorsus caruisse censenda sit.

Qua in argumentatione eis, quae contra me scripsit, se rationes meas non satis perspexisse ostendit. Ipse enim olim (de emendat. Lucani p. 29) hoc modo ratiocinatus eram: 'quarum schedarum quanto maior est constantia in uersuum cuiusque paginae numero, tanto minus numerus uersuum, quos hodie legimus inter V 301 et VI 215, qui est DCCXXVIII, uerus esse potest, cum tricenario numero, praesertim si duos unumue saltem uersus praeterea inter libros V et VI necessario intercedentes adnumeres, diuidi nequeat.' Continua igitur scriptura (de uersuum, non de uerborum continuitate loquor) totum codicem exaratum fuisse credidi. Nec tamen fieri potuit, quin illam difficultatem eodem quo Detlefsenus uoluit modo tolli posse uiderem, ut scilicet unumquemque librum ab integra scheda incepisse eaque de caussa ultimam cuiusque libri schedam pauciorum quam tricenum uersuum fuisse statuerem. Quo posito singulorum librorum usque ad quintum haec fuisset ratio:

liber I	continet uersus	690*),	siue schedas	XXIII,	nullo omnino subscriptioni spatio relicto.
liber II	- -	736,	- -	XXV,	extrema pagina uno tantum uersu conscripta.
liber III	- -	762,	- -	XXVI,	extrema pagina prorsus uacua, paenultima XII uersus continente.
liber IV	- -	824,	- -	XXVIII,	ultima pagina item uacua, paenultima XIV uersus continente.

Hinc uero alia difficultas oborta est. Neque enim mihi persuadere potui, ut in librorum finibus integras paginas uacuas relictas esse crederem, id quod in tertii et quarti libri finibus factum fuisse statuendum erat; praeterea in primi libri fine subscriptio aut prorsus omissa esse aut totam schedam ceteroquin uacuam occupasse censenda erat. (Haec quidem illo tempore sententia mea erat; nunc cur in ea persistere nolim infra dictum est.) Huc autem alterum hoc accedebat, quod ipsius libri sexti schedae documento esse uidebantur, hunc librum in codice non ab integra scheda incepisse. Etenim in ea libri parte, quae uersum 215 praecedit, non quattuor, sicut Detlefsenus uult, sed aut tres aut quinque uersus eiciendi erant, ita ut, si eos in codice afuisse statueretur, praecedentibus septem libri sche-

*) Errat Detlefsenus, huic libro 695 uersus tribuens; neque enim potuit uersus 436—440, qui in uno tantum eoque recentissimo codice leguntur, nostro codici obtrudere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dis complendis non CCX, sed aut CCXVIIII aut CCXI uersus superessent, quorum numerorum neuter tricenario diuidi poterat. Neque enim uideo quomodo Detlefsenus sententiam suam, qua illorum uersuum huius libri quibus Scaeuae fortitudo effertur:

185 Vallatus bello uincit, quem respicit, hostem.
Iamque hebes et crasso conspersus [non asper *libri*] sanguine mucro
Percussum Scaeuae frangit, non uolnerat, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine uolnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.

uersus 187 et 188 in codice omissos fuisse censet, defendere possit. Aut enim unus tantum horum uersuum (quem olim dixi u. 187 esse p. 10) aut tres uersus 186—188 eiciendi sunt: certe uersus 186, si seruatur, alterutro insequentium uersuum ad sententiam absoluendam carere nequit. Duobus ergo uersibus sine dubio eiciendis, qui sunt 152 et 207, aut unus aut tres accedebant.

Itaque cum sententia illa de libris omnibus ab integra scheda inceptis solo quinto libro probari, sexto autem refutari uideretur, eam abiciendam et in continua codicis scriptura perseuerandum esse duxi. Quod autem Detlefsenus me hac in re sine ratione egisse dicit, subscriptioni duos tantum uersus tribuentem, iniuste facit: apparet enim ex iis quae in commentatione mea proposui, quanto maius spatium subscriptioni tribuissem, tanto plures uersus inter V 301 et VI 215 codici abiudicandos fuisse.

Haec tamen non scripsi, ut meam illam quae olim fuit sententiam nunc quoque contra nouam quam Detlefsenus proposuit tuerer, sed potius defendendi mei caussa amplius ea exposui, ne cui illius commentationem perlegenti olim sine ratione egisse uiderer. Libere enim nunc adfirmare et possum et debeo, Detlefsenum mihi ea, quae de integri codicis compositione adfert, ita persuasisse, ut paucissima et leuissima tantum uideam, quae nonnullis ab eo propositis opponi possint. Magna certe cum diligentia nec minore acumine omnia, quae in codicis reliquiis repperit, ad sententiam suam defendendam ita contulit, ut uniuersa eius argumentatio quae ad hanc rem pertinet uix a quoquam labefactari posse uideatur.

Qui igitur olim continuam codicis scripturam statuens me hac re niti posse putaui ad interpolationes in libro V inuestigandas, nunc hanc sententiam prorsus detrectandam esse intellego. Cognoui enim re iterum pertractata nimis debiles esse rationes quibus olim ad sententiam meam adductus essem. Nam quod ultimae librorum quorundam schedae aut paginae scriptura siue potius Lucani uersibus in eis inscribendis prorsus caruisse putandae sunt, hoc exemplis a Detlefseno allatis factum esse posse sat demonstratur; et si quibus nunc quoque ea res probabilitate carere uideatur, coniectura in promptu est infra a me adiecta, qua etiam his satisfieri posse credo. Quod autem in libro sexto non quattuor sed aut tres aut quinque uersus codici abiudicandos esse dixi, in hac sententia nunc quoque perseuerarem, si in codice nihil omnino a librario erratum esse adfirmari posset. Nunc autem credo, tres tantum uersus qui sunt 152, 188 et 207 iure in codice afuisse, quartum uero quendam uersum librarii errore intercidisse. Scio quidem, me hac coniectura difficultatem effugere potius quam uincere; a me tamen nec impetrare possum, ut sententiam supra propositam de uersibus 186—188 mutem, nec ut propter unum uersum aut abundantem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut desideratum totam Detlefseni argumentationem falsam esse dicam. Ceterum num aliter res expediri possit, alius uiderit.

Cum autem hoc illi dem, uersus V 315 et 611—13 a me sine librorum auctoritate eiectos seruandos esse, hoc tamen illi non concedam, hemistichia illa quae leguntur V 69⅚,

Praecipitantque suos luctus, ***neuterque recedens***
Sustinuit dixisse: uale, uitamque per omnem
Nulla fuit tam mesta dies —

a Lucano esse profecta. Mihi enim codex Vossianus ***B***, in quo primus librarius ea omisit, scribens:

Praecipitantque suos luctus, uitamque per omnem e. q. s.

(secunda demum manu ***uitamque per omnem*** uerba erasa iisque ***neuterque recedens*** substituta sunt, uersu toto 696 eadem manu in margine scripto) satis magnam auctoritatem uersus eiciendi habere uisus est, certe omnibus relicuis codicibus maiorem. In Montepessulano quidem codice, qui eiusdem est auctoritatis, Oudendorpi excerptor uersum abesse non scripsit; andudum uero ex eius silentio nihil certi consequi dixi.

Praeterea de schedis aut paginis in finibus librorum uacuis relictis alia coniectura fieri possit. Difficultas enim quae huic rei inest facile tollitur, si statuamus in his partibus praeter inscriptiones et subscriptiones etiam argumenta librorum scripta fuisse, sicut factum est uelut in Plini codice rescripto a Moneo edito.

Cuiusmodi haec argumenta fuerint, dicere quidem non possum; si ex libro Vossiano ***B*** coniecturam facere liceret, equidem putarem ea tantum lemmatis siue indiculis singulis librorum partibus ascriptis constitisse, sicut in Lucreti codice oblongo factum uidemus. Quae enim in Vossiano ***B*** leguntur argumenta, ea talibus ex lemmatis composita esse quam maxime probabile est, cuius rei documento esse uolo partem argumenti libro IIII praemissi quam infra scripsi:

Pugnam inter caesarem et petreium atque afranium circa
ilerdam. et inundatione ac fame uexatum exercitum
caesaris. prohibitosque pompeianae partis duces petere
bellicosas gentes abequitatu caesaris. et interclusis flu-
minibus ac fontibus. postquam non dabant hostes pug-
nandi copiam addeditionem siti compulsos inpetrasse ue-
niam quamuis ipsiuelut inpace permixtos intra castra ex-
ercitui ipsorum caesari * anos occidissent e. q. s.

Quae manca esse primo quisque adspectu intellegit; desunt enim ab initio uerba, quae a prima manu in omnibus libris omissa sunt, a secunda in nonnullis addita: ***Continet hic liber*** siue ***iste liber continet***, ita ut in eo libro unde ***B*** exscriptus est, hoc modo ea scripta esse haud improbabiliter conicias:

Continet iste liber
pugnam inter caesarem et petreium atque afranium circa ilerdam
inundatione ac fame uexatum exercitum caesaris
e. q. s.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cuiusmodi argumenta ubi in codice nostro fuisse statuimus, nemo non concedet ea sufficere ad unam uel plures etiam paginas complendas.

Mitto autem haec nunc, ne in satis amplum coniecturae campum certis rationis legibus non adstrictum descendens hariolari magis quam disputare uidear, transeoque ad alteram Detlefsenianae commentationis partem, qua de ipsa schedarum superstitum scripturae discrepantia actum est.

Qua in re primum monendum est, Detlefsenum prorsus falsam uiam ingressum esse, cum ad aestimandas schedarum lectiones eas cum Bentlei coniecturis atque emendationibus compararet. Qui quanquam ipse non dicit, hac tantum uia nos ad certum de schedis iudicium peruenturos esse, — 'iuuare' enim eiusmodi comparationem ait — tamen tota illa pars commentationis, qua de illarum scriptura disputauit, ita instituta est, ut multis in locis schedarum scripturam fere ea tantum de caussa probet, quia Bentleius eodem modo hos locos emendandos esse dixerit; ita ut iudicium de schedarum scriptura ex Bentleianae tantum scripturae comparatione fiat. Quam rationem duabus de caussis falsam esse reapse demonstratur. Primum enim omnino de libris manuscriptis non ex hominis cuiusdam, ne ingeniosissimi quidem, textus quem dicunt recensione iudicium ferri potest, sed ex aliorum tantum codicum conlatione. Tum autem ipsius Bentlei emendationes Lucanianae eiusmodi sunt (id quod a Detlefseno quoque postea concessum est), ut minus librorum auctoritate nitantur quam subtili illo sensu quo excellebat in eis quae puri castigatique sermonis normae non conuenirent inuestigandis. Quicunque enim eius emendationes cum ipsorum codicum scriptura comparauerit, quantumuis uiri egregii sagacitatem admiretur, mox tamen eas a librorum memoria tantum recedere intelleget, ut raro in uerborum seriem recipi possint. Enimuero sensu illo persaepe adductus est, ut multa, quae minus apte legi uiderentur, librariorum peccata haberet, cum ea potius ipsi Lucano essent tribuenda, cuius carmen ut non absolutum ita non perpolitum esse satis constat. Itaque siquis de illarum schedarum ad emendandum Lucanum usu iudicium laturus est, cum aliis libris manu scriptis quos habemus eas conferri oportet.

Quos inter libros olim commentatione mea duos eminere docui, quibus maxima in emendando Lucano auctoritas tribuenda sit. Qui libri sunt Vossianus II (***B***) et Montepessulanus (***M***), quorum illum ipse ante hos sex annos Leidae totum contuli, hunc tantum ex excerptis Oudendorpi in usum factis noui. Hi enim ex eodem olim libro exscripti sunt, correcto eo quidem atque emendato saeculis V aut VI per Paulum quendam Constantinopolitanum. Hic autem Pauli liber non solum illorum duorum librorum, sed omnium praeter schedas rescriptas superstitum communis fons habendus est, ita quidem ut praeter ***B*** et ***M*** nullus ex eo ipso exscriptus esse uideatur. Itaque omnes illi libri unius sunt generis, eorumque duces ut ita dicam ***B*** et ***M*** necessario existimandi sunt. Cum his ergo schedae comparandae sunt, siquis de eis iudicium facturus est.

Quod quo plenius fieri possit chartis non parcendum esse duxi omniumque locorum infra indicem apposui, quibus schedarum a ***B*** codicis scriptura recedit. Quam maxime quidem uellem ***M*** quoque codicis discrepantiam addere; nondum tamen conlationem nancisci mihi contigit Quo de indice haec monenda uidentur. Quam maxima quidem cura in id incubui ut omnem discrepantiam exhiberem; hoc tamen a me non potui impetrare ut eos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quoque locos afferrem quibus in *B e* siue *e* litterae leguntur pro eis quae sunt *AE* et *OE* in schedis, ne index moleste augeretur. *B* codicis conlatio a me ad exemplar Bipontinum facta est; ubicunque igitur ab eo schedae recedunt neque quidquam a me adnotatum est, *B* eandem quam schedae scripturam praebere scito.

Scriptura C codicis.	*Scriptura B codicis.*
Scheda I continens libri V u. 31—61.	
V 31 SILENTIS	silentes
34 EXOLAT	exulat
37 MEMBRA	menbra
39 LIBYAESQALENTIB.	libies squalentibus
41 DEIS	diis
49 MERENTIS	merentes
50 PELAGOQ.	pelagique
52 TAYGETI	Tageti
53 *totus deest*	Massiliaeque suae donatur libera focis
54 TVMSODALVM	tunc sadalam
55 GELAERHASCYPOLIN	gelidae trascypolim
56 CONLAVDANT	collaudant
57 PRO	proh
59 PTOLEMEAE	ptolomee *B*, ptolemee *b ex corr.*
60 CINGE ‖ CRINIS	cingere ‖ crines
Scheda II, continens l. V 62—91. Huius schedae pagina uersa, in qua exarati erant u. 76—91, tam misera condicione est ut maxima pars legi nequeat; noli propterea credere, in his uersibus B C codicum ubicunque nihil attulero eandem esse scripturam.	
V 62 DONATA *ex correctura. Librarius ex praecedenti uersu* PVERACCIPIS *iterare noluerat.*	donata
67 DESCENDERE	desendere *B* descendere *b*
68 EXPROMERERVM	expromere rerum
69 ABDVCTA	obducta
72 PARNASSOS; *sic u.* 77 *parna*SSE	parnasus; *u.* 77 parnase
73 PATER	sacer
74 TRIETERICABACCHAE	triaetherica bache *B* trietherica bache *b*
80 PAEANPYTHONA	pean *(sic etiam u.* 82 *et VI* 199*)* phitona
81 REGN*a*	regna *om. B, add. b*
84 EXHALARESO.VM	exalare solum
85 ADYTO VATESIBIFACTVSAPOLLO EST	adito uates sibi factus apollo *B.* sibi *in* ibi *corr. b*
91 CONTACTVSQ.	contactumque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Scheda III, continens l. V 152—181. *De pagina recta huius schedae (u.* 152—166*) idem quod de pagina uersa prioris schedae monendum est.*

V 152	PHOEBIQ·	....biq, *B*, phoebiq, *b*
153	ANTRI	antra *B* antri *corr. b*
155	EXCVSS*ae laur*VSIMMOTAAQ·C*u*L-M*ina t*EMPLI	Excusae laurus immotaque limina templi
158	*dabi*S	dab.. *B* dabis *b*
160	CONSVLTAMVLTV	consulta tumultu
163	*uas*TISQ·AB*ducta*	uastis..... *B* uastisque immersa *b in ras.*
166	*p*ECTORE *cirrhaeo*	Pecto..... *B* Pectore chirreo *b in ras.*
167	INRVPIT	irrupit
168	IVSSIT	.... *B* iussit *b in ras.*
169	BACCHATVR	bachatur
170	VITTASQ·	uitasque *B* uittasque *b*
173	OBSTANTIS ‖ EXAESTVAT	obstantes *B* ‖ ex.... *B* exestuat *b in ras.*
175	VTERISSETSTIMVLOSFLAMMASQ· ‖ MERGIS	V..... et stimulis flammasque *B*, Vteris *b in ras.* ‖ mergit *B* mergis *b e corr.*
176	AETAS ‖ VNÃ	aotas ‖ unum *B* ae.tas ‖ unam *b corr.*
179	OMMNE	omne
180	POTENTIA	petentia

Scheda IIII, continens l. V 182—211.

V 182	NVMERVSNONDEERRATHARENAE	numer.deerat arenae *B* numerus non d. a. *b*
183	EVBOICO	euboyco
187	PHOEMONOE	phemonoe
190	VAESANARERORA	uesana per ora
192	TVMPRIMVMVASTIS	tunc mestus uastis
196	CONVELLE	conualle
197	SVPPRESSIT ‖ OBSTRINXIT	subpressit ‖ obstruxit
198	TRIPODES ‖ ARCANAQ·	trypodes ‖ archanaq,
202	CONLABSAS	conlapsas
204	DAMNARE	dampnare
206	VINDICIIS ‖ FVRORI V̄ *(sic)*	uindicis ‖ furorum
210	LOCTAE	locuta est

Scheda V, continens l. V 272—301.

V 279	ANIMAMGALEA	anima galeam
281	INLABI	illabi
282	MORBISFINIRE	.....nere *B* morbis finere *b in ras.*
285	SPESTRAHIS	Spe trahis
286	NESCIAMVS	nescimus
289	VETAT ‖ MIHI	uetant, *suprascr.* uel at ‖ michi
292	QVITQVIT	quicquid

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V 293	FATV*m*	factum *B* fa*tum *b*
294	IRATO	..... *B* irato *b in rasusa longioris uocis.*
295	PAXEHAECF..TVS, *suprascr.* RIT	Pax erit haec fatus
296	VOLTV	uultu
297	SICEATOSVPERI	Sic ..... *B* Sic eat o superi *in ras. b.*
300	VIRVM	ducem
301	SET ‖ DIMITTERE	sed ‖ committere

Scheda VI continens l. VI 215—244. ***Paginae uersae (u.*** 230—244) ***eadem est condicio quam supra esse dixi in schedae II pagina uersa.***

VI 215	CERTIOR	cercior
216	LAEVOM	laeuum
219	TELVMQ·	ferrumque, *suprascr.* uel telum
220	HAVD'	haut
221	LIBYASAMMENTAVITHABENA	lybis amentauit h.... *B* abena *b add.*
222	VOLNVS, *item u.* 227.	uulnus, *item u.* 227.
223	IMPEDITHOC ‖ CIRCVMIT	impetit et ‖ circuit
224	VOLTVM *et* 229 VOLTV	uultum. *et* 229 uultu
225	FACIE	facies
228	SVPPRESSVM	subpressum
233	TO*llIt*E*t*IN	tollite et in
237	VIDETER*recto* ‖ TREMENTÈ	uidit recto ‖ prementem
244	*put*ASTI'	putatis

Scheda VII, continens lib. VI, 245—274. ***In pagina antica*** (245—259) ***pauca legi non potuerunt.***

VI 245	PO*mpei*O	Pompei
252	VMERISDEFESSVMIMPONERE	humeris defectum inponere
253	NVME	numen
254	VITAM	uiuam
256	NVD*um* *(duarum litterarum spatio uacuo relicto)*	nudo
257	ARMIS	Amis *ex* Ames *B corr.*
261	TEMTLA	templa
263	*talis qualis in B uersus legitur; sed in hoc modo uerba* Nec magis *B scripsit, relicua b in rasura addidit.*	
268	PROFVDO	profundo
269	INCVRSVGEMINAE	incursum gemini
274	SVCCVBVIT ‖ TVMVLVMQ.	Subcubuit ‖ cum mulumque

Scheda VIII, continens l. VI 305—334.

VI 306	LIBYAE	libie
311	SANCTO	S .... *B* Sancto *b*
312	MALORVM	laborum, *suprascr.* uel malorum
317	TEMPTAVERESVO	temptauere sui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

318	HORTATVPATRIAE ‖ ADQ.	hortatu (hortati *b corr.*) patrias ‖ atque
323	PATRÍS	patriis
326	ARDENTESQ.	ardentisque
328	APOTIVS	Ah potius
330	CONDIXIT	conduxit, *suprascr.* praecepit uel conuertit
333	THESSALIAM ‖ ORIS	Thesaliam (Thessaliam *b*) ‖ horis

'Tanta' igitur 'patet rerum series' siue potius locorum, quorum scriptura in schedis (quas ***C*** littera insigniui) seruata a ***B*** codicis memoria recedit. Neque uero eorum multitudo, sicut fata Phemonoen apud Lucanum, miserum nostrum pectus premit; imo primo quisque adspectu eorum locorum, quorum discrepantiae diligentiore consideratione dignae sunt, haud ita magnum numerum esse intelleget. Primum enim ex hac serie tollendi sunt ei loci, quorum discrepantia ad eiusdem tantum uocabuli scripturam pertinet, qua in re quanto maiorem neglegentiam ***B*** codicis librarii tanto maiorem diligentiam schedarum librarius ostendit. Cuiusmodi discrepantias, quales ***B*** praecipue in nominibus propriis praebet, uelut ***trascypolim*** pro RHASCYPOLIN, ***bachae*** pro BACCHAE, ***chirreo*** pro CYRRHAEO, ***euboyco***, ***libie***, quo etiam ***Sadalae*** siue SODALI illius nomen pertinet V 54, quem ***Sadalum*** fuisse ex *Σάδαλος* nomine in nummis Thraciis seruato conicio, minime urgebimus; nec maioris momenti ei loci sunt quorum discrepantia adsimilatione aut obseruata aut neglecta, uelut CONLAVDANT et ***collaudant***, INRVPIT et ***irrupit***, aspiratione aut addita aut omissa, uelut EXHALARE et ***exalare***, TRIETERICA et ***trietherica*** et similibus rebus ad orthographiam tantum quam uocant pertinentibus ostenditur. Maiorem neglegentiam aliis in uocabulis ***C*** monstrat, quae calami lapsu falso scripta sunt et ex parte iam a Detlefseno enumerata p. 342, quibus addi poterant CINGE V 60 pro ***cingere***, EXPROMERERVM V 69 pro ***expromere rerum***, RERORA V 190 pro ***per ora***, et quod grauius est PATER V 73 pro ***sacer***: uix tamen huc referendos esse puto ABDVCTA V 69 pro ***obducta***, nec magis FACIE pro ***facies*** VI 225, APOLLOEST pro ***apollo*** V 85, VETAT V 289 pro ***uetant***, IMPEDIT pro ***Impetit*** VI 223, in quibus non errasse librarium alii codices easdem discrepantias praebentes documento esse possunt, quare de eis infra paucis dicendum est. In eis quoque locis quos schedae mutilos tantum exhibent, similis neglegentiae uestigia repperisse uideor. Detlefsenus enim cum in plerisque locis mutilorum uersuum reliquias tam accurate repraesentauerit, ut, si deperditas litteras eodem scribendi genere exaratas addideris, uacua litterarum spatia optime et commodissime expleantur, in paucis tamen uersibus hoc fieri nequit, ut non sine ratione aliam in schedis fuisse scripturam suspicari possis. Velut in uersu V 157:

PR***odiderant***; ***sensit tripodas c***ES***s***AR***e***, ***furensque***

deperditae litterae eodem genere exaratae in duodeuiginti uel uiginti litterarum spatium quod inter PR et ES intercedit cogi non possunt. Simile aliquid obseruaui in uersu VI 230:

PARCITE, ***ait***, ***ci***V***es***: ***procu***L ***hinc auertite fer***RVM

ubi spatium inter V et L intercedens non potest expleri ESPROCV litteris, nec spatium inter L et RV sufficit HINCAVERTITEFER litteris capiendis. In eiusdem paginae uersu VI 241:

soluat, ***ait***, ***poenas***, ***sca***E***u***AMQVICVNQ.SVBACTVM

litterae deperditae maius spatium reposcunt quam quod ad E litteram extenditur. Etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

u. 243 eiusdem paginae similem suspicionem mouet. Quibus in uersibus cum nihil sit caussae cur coniectura lectionem traditam mutemus, in eis idem factum esse credo, quod reuera factum est V 295, ubi cum ab initio librarius scripsisset PAXEHAEC, postea RIT litteras post E omissas huic litterae suprascripsit, scilicet litteras quasdam initio neglegentia aut omissas aut fortasse iteratas fuisse, quas postea librarius aut supra lineam adscripsit aut erasit.

Huiusmodi igitur discrepantias, quae multo magis neglegentiae aut temporum quibus codices exarati sunt mori quam generis et originis diuersitati tribuendae sunt, hac in quaestione sine ullo detrimento neglegere possumus, quia ad pretium codicum aestimandum nihil adferunt. Restant tamen quae diligentiore consideratione dignae sunt; quo ex genere grauissima discrepantia apparet in uersu V 53. Qui uersus cum in omnibus libris inueniatur, hoc modo:

— fama ueteres laudantur Athenae,
53 Massiliaeque suae donatur libera Phocis (focis ***B***);
Tunc Sadalum fortemque Cotyn, fidumque per arma
Deiotarum et gelidae dominum Rhascypolin orae
Collaudant —

in ***C*** prorsus omissus est, quamobrem dudum eum spurium indicaui. Detlefsenus tamen seruandum eum esse censet, omissionem neglegentiae non schedarum librarii sed eius codicis unde ***C*** exscriptus est tribuens. Rationes ergo meas copiosius exponendas esse uideo.

Patres Lentuli oratione commoti Pompeium ducem creant, ei 'fatum patriaeque suumque' imponentes. Qui 'in reges populosque merentes' honorem spargit: Rhodon donis exornat; tum Spartanos, Athenienses, dein Thracios reges collaudat, porro Deiotarum Cappadocem, Rhascuporin item Thracem; denique Africae Iubam Ptolemaeumque praeficit (cf. u. 50 sq.). Atquin inter Athenienses et Thraces uersus ille ***Massiliaeque suae donatur libera Phocis*** interpositus est, quem uulgo sic explicant: propter Massiliam, siue in fauorem Massiliae, Phocis eius mater libera redditur. Cui explicationi non quidem obstat, quod Massilia non a Phocensibus Graeciae sed a Phocaeensibus Asiae minoris condita est: ***Phocis*** enim et ***Phocaea*** nomina promiscue saepe ab antiquis scriptoribus usurpata sunt, qua de re copiosius disputauit Oudendorpius ad libri III uersum 440; neque tamen ita omnis difficultas sublata est. Locorum enim quae Lucanus enumerat series nos de Phocaea illa Asiatica hic cogitare quam maxime uetat; nisi quis inter Athenas Thraciamque non Graeciae sed Asiae minoris ciuitatem a Lucano interpositam simulque nulla de caussa Massiliae urbis remotissimae mentionem iniectam esse censeat. Quotiescunque uero ***Phocaea*** et ***Phocis*** nomina a scriptoribus confusa sunt, nemo tamen eo ignorantiae processisse, ut a Graecis Phocensibus Massiliam conditam esse diceret, iure argui potest. Exstant quidem in Pharsalia loci ubi Lucanus similis ignorantiae non immerito argui posse uideatur, uelut in simili enumeratione libri I, cuius uersu 419 ***Nemetis*** sive ***Nemetum*** nomen mire ad sinum Tarbellicum transfertur, uel I 432, ubi ***Cinga***, cuius nominis notissimus in Hispania fluuius est, inter Batauos et Ararim collocatus est: sed in his locis dudum uiri docti emendationibus difficultatem tollere conati sunt, quanquam nec qui ***Nemausi*** pro ***Nemetis***, nec qui ***Sulga*** pro ***Cinga*** substituerunt, uerum repperisse uidentur. Nec multum proficimus scholiastarum interpretatione: inde enim uersum nec genuinum habendum esse consequitur nec schedarum tempore anti-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quiorem: illud tantum tempus, hoc est saeculum sextum, quo scholia componi coepta sunt, eum excedere fortasse demonstratur. Atque quid est illud *libera donatur*? Qui explicat: '*libera*, erepta scilicet Caesari, cum adhuc esset obsessa', is potius de Massilia quam de Phocaea siue Phocide cogitauisse uidetur, et qui haec habet: '*libera*, ac si dicat, condonauerunt eis tributum quod prius debebant Romanis', is uereor ne *liber* adiectiuo uim tribuerit cuius exempla alias frustra quaeras; nusquam enim *liber* pro eo quod est *immunis* dictum uideo. De origine autem interpolationis siquis quaesiuerit, ei ex aliis libris simillima interpolationum exempla adferri possunt. Velut libri I uersus 436—440, quorum auctorem Marbodum episcopum Andinum esse ferunt, patriae mentionem inicere cupientem, uel duo sexti libri loci, in quo post u. 442 quinque, post 479 quattuor uersus in nonnullis codicibus adiecti sunt; de quibus consulendus est Weberus in commentatione de spuriis aut male suspectis Lucani uersibus pp. 616 et 634. Qui loci eiusmodi sunt ut, siquis in Lucani uersibus desideraret aliquid, quod ex studiis suis siue geographicis siue aliis addere posset, eum talia, fortasse aliis ex poetis desumpta, intra Lucani uersus intrusisse appareat. Vnde cum uersum illum deesse posse nemo neget, nihil caussae uideo cur contra antiquissimi libri memoriam eum Lucano uindicemus.

Minoris momenti interpolatio schedis patefacta est in eiusdem libri uersu 300. Vbi cum in omnibus libris adhuc circumferretur:

Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!

pro *ducem* uocabulo VIRVM *C* habet. Quam interpolationem neminem facile indagaturum fuisse credo, quia utrumque uocabulum huic loco satis aptum est. Nec tamen dubitari potest quin schedarum scriptura uera sit. *Duci* enim *uirum* substituendi nulla omnino fuisset ratio: *uirum* autem uocabulo ex uersu 296: *infestoque ducem deposcere uultu* facile *ducem* suprascribi et porro substitui potuit. Denique generali quae praecedit sententiae *uirum* magis conuenit quam *ducem*. Itaque hic quoque schedarum scripturam restituemus.

Quibus locis tertium addo, quo schedae ipsam quidem ueram scripturam non praebent, uerum facillime ad eam indagandam ducunt. Virginem enim Delphicam describens, quae Appio cogente tandem 'insueto pectore numen concipit', sacrum furorem inde exortum his uersibus poeta pingit: (V 169)

— bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens; uittasque dei Phoebeaque serta 170
Erectis discussa comis per inania templi
Ancipiti ceruice rotat, spargitque uaganti
Obstantes tripodas, magnoque exaestuat igne
Iratum te, Phoebe, ferens: nec uerbere solo
Vteris et stimulis: flammas in uiscera mergis; 175
Accipit et frenos, nec tantum prodere uati,
Quantum scire, licet.

BC librorum scriptura a uulgata recedens iam in indice annotata est. Difficultatem in his praebent uersus 174—176, quorum scriptura non solum optimorum librorum testimonio caret (STIMVLOS *C*, *flammasque BC*), uerum etiam latini sermonis legibus non conuenit. Hoc enim modo fere explicant: 'Iratum te fert, quia non uteris tantum uerbere et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

stimulis, sed etiam flammas mergis in uiscera' (sic schol. in B et LA apud Weberum). Quae interpretatio quamuis uel illa *flammasque* scriptura falsa esse arguatur, si ueram esse largiamur, quis, quaeso, ante *flammas* uocem particulis quae sunt *sed etiam* uel *sed* solum, necessario in apodosi addendis carere poterit? Quae res cum editores non fugisset, duplicem uiam ad locum emendandum ingressi sunt. Bentleius enim et Cortius, coniectura uterque interpungendi modum mutantes ita locum instaurare conati sunt: *nec uerbere solo Vteris et stimulis, flammasque in uiscera mergis: Accipit et frenos*, ut *et* pro *sed etiam* particulis substituentes hanc efficerent sententiam: 'non solum uerbere et stimulis uteris, flammas praeterea in uiscera mergens, sed frenis quoque eam coerces' — Phoebus igitur Phemonoen et instigat et retinet. Contra hos Oudendorpius et, ni fallor, Detlefsenus*) locum sic emendauerunt: *nec uerbere solo Vteris: at stimulos flammasque in uiscera mergis. Accipit et frenos* — Hi ergo disiunctiuis illis particulis *uerbera* et *stimulos flammasque* inter sese opponunt, hoc modo: 'non solum extra uerbere uteris, sed etiam intus uiscera eius stimulis flammisque instigas'. Neutri tamen uerum inuenerunt. Cum enim haec Oudendorpi Detlefsenique scriptura uel propterea reicienda sit, quod *at* particulae post *non solum* pro *sed* siue *sed etiam* particulis ponendae usus a latinae linguae consuetudine abhorret, illam Bentlei emendationem quominus probemus primum hoc obstat, quod *stimulos* scripturam non solum schedis sed aliis quoque libris (in quibus Oudendorpio teste etiam *B* est, cum ipse in conlatione mea nihil adnotatum habeam) probatam neglegit, tum quod scholiis non *uerbera* et *frenos*, uerum *uerbera* et *flammas* inter sese opposita esse demonstratur, quorum scholiorum alterum supra iam exhibitum est, alterum hic ascripsi: 'non tantum eam extra urgebat, sed etiam intus flammas furoris immittendo'. Tertium uero nunc accedit, quod in schedis eadem quam scholiastae uolunt oppositio SET scriptura pro *et* uel *ac*, quae in relicuis libris sunt, monstratur; qua scriptura recepta omnia planissima essent, nisi VTERIS illud impedimento esset. Vnde uix fallemur, cum in hoc uerbo corruptelae sedem esse suspicati erimus, quae suspicio *B* codicis scriptura ualde augetur. In hoc enim prima tantum *V* littera priore manu scripta est: *teris* litterae posteriore manu in rasura additae sunt. Nec multum quaeras quid pro hoc uerbo substituendum sit: in promptu enim est *urgendi* uerbum, quod altero quoque scholio probatur, memoresque praeterea alius loci I 262: *dubiaeque in proelia menti Vigentes addunt stimulos* non dubitabimus quin Lucanus scripserit:

nec uerbere solo
VRGES, SET stimulos flammasque in uiscera mergis;
Accipit et frenos —

Cui emendationi aliam statim addam, quae in uersu 170 necessario requiritur, etsi ea ad *BC* codicum comparationem ea de caussa nihil adferat, quod uterque *Colla ferens* illud praebet. Quo de loco iure Bentleius 'Cuius, quaeso' ait 'colla erant, si aliena erant et non sua?' neque Cortio assentiendum, qui conlatis duobis locis Horat. Serm. 7, 82 *ut neruis alienis mobile lignum*, et Lucan. II 265 *alieno uerbere labens* tam mirum *alienus* adiectiui usum, ut sit 'aliena uoluntate tortus' uel simile aliquid, infeliciter defendit, cum antea

*) Hic enim istam enuntiati partitionem commendans non potuit scribere *Vteris, sed stimulos:* imo *sed* pro *at* errore posuisse uidetur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anhela contra prosodiam, nec tamen contra ipsius morem legere uoluisset. Aptissima itaque ut uidetur et facillima Bentlei coniectura est *Corda gerens* scribentis. Neque uero eam prorsus probare possum, quia iam pluribus uersibus animum Phoebadis immutatum sacroque furore commotum poeta descripsit et a *bacchatur* uerbo ad externam uirginis furentis speciem repraesentandam pergit, cui *aliena corda gerens* illud minime conuenit. *Colla* cur displiceat supra dictum est; ad aliam emendationem ipse Bentleius uiam monstrauit, Vergili sibyllam conferens, cuius descriptionem Lucanus imitatus est. Ille enim in libro VI a uersu 46 haec habet: *cui talia fanti Ante fores subito non uoltus, non color unus, Non comptae mansere comae* — quo loco de uultus quoque mutatione loquitur, quam in Lucani imitatione desideramus. Quibus conferri possunt quae infra de uate templo expulsa Lucanus scripsit a uersu 213: *nunc uultu pauido, nunc torua minaci; stat nunquam facies; rubor igneus inficit ora Liuentesque genas; nec qui solet esse timenti, Terribilis sed pallor inest* —. Scribendum itaque censeo *Ora ferens*, ita ut *ora aliena* uultum sacro furore mutatum indicent. *Ferens* enim in *gerens* mutare non opus est, cum tales repetitiones quales hic et in u. 174 factae sunt Lucanus non anxie uitauerit. Quod duobus uersibus post de ancipiti ceruice loquitur poeta, hac re non solum nobis altera caussa *colla* uocis mutandae datur, sed possumus etiam ipsius corruptelae originem inde quam maxima cum probabilitate repetere.

Quibus locis cum schedae solae praeter omnes relicuos codices ueram poetae scripturam seruauerint aut saltem ad eam inuestigandam ducant, magnus eorum quoque locorum numerus est quibus ***B*** et ***C*** uterque eandem ueram scripturam contra alios modo plures modo pauciores codices praebent. Quos locos ut iam ex ordine breuiter percenseam, primum in eorum numero uersum adferam, de quo ipse olim aliter sensi. Cum in uersibus V 71. 72:

Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnasus gemino petit aethera colle —

AB codicum, quibus nunc schedae quoque accesserunt, scripturam *submotus* siue *summotus* reiecerim uolgata *semotus* seruata, sententia nunc mutata SVMMOTVS illud magis commendari uideo. Verum quidem est, *submouendi* uerbum, siquidem lexicis fides habenda, fere de hominibus tantum aut rebus eis quae moueri possunt usurpari, neque quidquam contra hanc rem efficiunt loci a Detlefseno allati ex Plin. ep. III, 11, 2 *cum essent philosophi ex urbe summoti*, et ex Velleio II, 68, 1, ubi Milo *summotus a republica* dicitur. Loca uero fere semper aut *remota* aut *semota* nominantur. Attamen hac re prohiberi non debebam quominus hoc loco *summotum* Parnassum probarem; egregiam potius poetae fictionem subesse nunc intellexi. Parnassum enim initio rerum deus consulto in medio terrae ita posuit, ut tantum ab occidente quantum ab oriente sole distaret; submouit eum quasi deus ex pristino loco donec in aptissimo poneret. Quanto magis iam *submotus* illud poeticae indoli conueniat quisque uidet. Nec prorsus a Latini sermonis consuetudine talem huius uocis usum abhorrere Plini loco demonstratur Nat. Hist. III 19, ubi Alpes simili modo Germaniam ab Italia *submouere* dicuntur. Simile aliquid obseruari potest in *seductus* participio quod item de rebus quae moueri non possunt usurpatum est, uelut apud Ouid. Met. XIII 902: *seductos nacta recessus;* et in huius libri u. 77: *Tu quoque uix summam seductus ab*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aequore rupem Extuleras unoque iugo, Parnase, latebas. — V 175 cur *flammasque* quod *BC* exhibent probandum sit iam dictum est; nec minus u. 189: *Inter fata diu quaerens tam magna latentem* illud *tam magna*, quod cum *BC* multi alii libri habent necessario probandum est, reiciendum *tam multa*, quod cum aliis libris *A* habet. — Similiter in uersu V 209, qui uulgo sic legitur: *tunc pectore uatis Impulsae cessere fores, exclusaque templis Prosiluit*, INPACTAE et EXPVLSAQVE cum *ABC* legendum esse apparet. Cum enim *inpactae* illud certissimo Prisciani testimonio confirmetur, qui in libro X 34 (p. 896 P.) de hoc ipso *impingendi* uerbo et similibus disserens hunc Lucani locum *Inpactae cessere fores* adfert, et scholiastae interpretatione qui dicit 'Impactae: impulsae patuerunt' *impulsae* illud ex glossemate irrepsisse demonstretur, alteram *exclusaque* scripturam uel ob sermonis elegantiam misere neglectam reicere non dubitaremus, etiamsi optimi libri *expulsaque* non praeberent, praesertim cum propter *impulsae* tantum glossema quod irrepserat *expulsa* participio aliud a lectore quodam, similis uocabuli iterationem uitaturo, substitutum esse perquam sit probabile. — Paullo diuersa res est in eiusdem libri uersu 279. Milites finem belli a Caesare petentes haec dicunt: *En improba uota: Non duro liceat morientia caespite membra Ponere, non anima galeam fugiente ferire!* ut in *AB* est. In *C* uersus 279 ex parte mancus est, ut haec tantum restent: PONERE NONANIMAMGALEAFVC....., in quo librarii errore tantum factum est, ut *animam galea* pro *anima galeam* scriberet. In aliis quibusdam libris legitur *glebam*, quod Burmannus recepit. Hanc quidem scripturam reicimus, quia eadem sententia iam in uersu qui praecedit inuenitur, nec caussam facile reperias, cur *glebam* in *galeam* mutatum dicere possis: praeterea omnes scholiastae *galeam* interpretantur. Hoc uero cum seruandum uideatur, quid est, quaeso, 'anima fugiente galeam ferire'? Numquis cum scholiasta 'animam illam partem galeae, quae est supra nasum, morte ferire' dicat? An quis cum Cortio *animam* pro 'sanguine' usurpatum esse putet: 'tanta ui sanguis erumpebat, ut quomodocunque cadenti galeam feriret'? Beroaldus quidem militem in pugna occisum *galeam ferire* dici contendit: exempla huius usus nec ipse attulit nec relicui editores inuenerunt. Vnde mihi quidem *feriendi* uerbum mutandum esse uidetur, et donec melius aliquid proponatur Waddelio assentior, qui Burmanno teste in Animaduersionibus criticis p. 130 *perire* legi iubet; ut dicat poeta: non liceat nobis armatis perire, anima galeam siue caput et corpus armatum fugiente, sed nullis armis indutis in lecto domi nostrae mori nobis concedas. — Similiter casus errore permutati uideri possint alio libri VI loco, ubi in u. 223 habemus: *Perdiderat uoltum rabies*, nisi *ABC* multorumque aliorum librorum consensus non minus quam diligentior consideratio ostendat, illos potius poeticam elegantiam non intellexisse, qui *uultus rabiem* emendauerunt. Dudum haec recte a Cortio sunt explicata: 'Scaeuae rabies antea et factis et uultu sese ostenderat: excusso oculo et sanguine deformata facie ista rabies uultum perdiderat neque per eum manifestare sese poterat'. Nihil ergo in hoc loco mutandum est. — In uersu VI 228:

Ille tegens alta suppressum mente furorem —

uix opus est demonstrare quanto haec *ABC* codicum scriptura languidissimae illi mutationi praestet, qua in parte librorum pro *furorem* uoce *dolorem* substituerunt, etiamsi, quod miror, Weberus et, quod non miror, Burmannus qui plerasque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eiusmodi interpolationes recepit, hanc mutationem probauerint. — Difficillimus locus superest VI 313:

Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.

quem sic habent ***BC***, cum in ***A*** m. pr. et aliis codicibus ***exciri*** legatur. Facile quidem est intellectu, hanc poetae esse sententiam: 'Nisi Pompeius illo loco Caesari pepercisset, ille dies ultimus laborum Romae esse potuisset et Pharsalica pugna e fatorum serie sublata esset.' Neque in 'mediis fatis' nos haerebimus, in quibus explicandis mirum se torsit Burmannus; quaerendum tamen est, num relicua poetae uerba talem interpretationem permittant. ***Exciri*** certe uerbum cum hac sententia nullo modo conciliari posse apertum est; hoc ergo reiciendam quamuis scholiastae habeant; sed ***exire*** quoque haud paruam dubitationem mouet. Quo saepius enim hoc uerbum mutationem siue terminationem indicat, uelut ***dies exit***, ***tempus exit*** apud scriptores inueniuntur et ***Vetustiora*** (populi folia) ***in angulos exeunt*** apud Plinium N. H. XVI, 23, 86, eo rarius pro illo quod est ***tolli*** ponitur, unumque tantum locum inuenio apud Senecam de benef. III capite ultimo: ***opus laudabile numquam a memoria hominum exiturum***, cui fortasse Ciceronianum illud Tusc. III, 5, 11 addendum: ***Exisse ex potestate dicimus eos qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia***, quibus locis num forte Lucani scriptura defendi possit expendendum est: ipse si per codices liceret Burmanni emendationem ***excidere*** scribentis ambabus amplecterer.

Horum igitur locorum cum omnium ea sit condicio, ut ***BC*** libri conspirantes siue ueram scripturam siue relicuis certe libris meliorem praebeant, etiam illos locos, qui in ***BC*** quidem eodem modo scripti leguntur, quorum tamen aliam non minus aptam scripturam alii libri exhibent, ad duorum illorum librorum memoriam constituendos esse duco. Seruandum igitur est ***nobis*** V 43, pro quo uulgo ***uobis*** legitur; item seruandum ***parum est*** V 274, ubi ***est*** in multis omissum est; seruandum denique ***uobis minor est*** VI 245, quae uerba in aliis libris inuerso ordine ***minor est uobis*** leguntur.

Quo certius autem his locis Lucani manum restituere possumus, eo difficilius est de uera scriptura iudicare ubi diuersam ***B*** et ***C*** praebent. Velut cum V 50 Rhodos insula ***pelagi potens*** in omnibus libris dicatur, ***pelago*** potentem facit ***C***. Quam schedarum scripturam cum Detlefsenus eo defendat, quod domina siue regina maris Rhodos illo tempore dici uix potuerit, hoc quidem illi lubentissime concedo; neque tamen intellego, cur Rhodos non eodem iure ***pelagi potens*** dici possit, quo Horatii musa ***lyrae potens*** dicitur, h. e. quae lyra scit canere, uel hominem ***mentis potentem*** ueteres dixerunt eum qui mente sua uti potest. Ex sententia igitur utra scriptura praeferenda sit diiudicari nequit. — Nec magis dicere possum, utrum V 91 ***contactumque*** cum ***B***, an ***contactusque*** cum ***C***, utrum V 155 ***limina*** cum ***B*** an C*u*LM*ina* cum ***C*** legendum sit. — Certior res est V 162, ubi Phoebas ad tripodas confugisse ***uastisque abducta cauernis*** haesisse narratur. Hoc enim loco schedae AB***ducta*** habent, cum in ***B immersa*** legatur, quam uocem ex glossemate irrepsisse nemo est quin perspiciat. Atquin ***immersa*** secunda manu in rasura scriptum est, ut persuasum habeam prima manu idem illud ***abducta*** quod in ***C*** est exaratum fuisse. Neque enim ***obducta*** quod in uno libro est satis fidei habet, neque ***adducta*** legendum est cum Oudendorpio et Bentleio, quo uerbo Phemonoe ab Appio ad cauernas illas adducta esse diceretur, quod ineptum est. Nec V 206 facile quisquam diiudicauerit, utrum ***furoris*** an ***furorum*** Lucanus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scripserit, praesertim cum in schedis quoque duplex inueniatur scriptura, hoc modo: FVRORI VM. — Idem denique accidit VI 244, ubi inter *putatis* et *putastis* (hoc enim sine dubio in *C* est), et VI 312, ubi inter *malorum* et *laborum*, si sententiam solam spectes, utrum uerius sit nullo modo certo affirmes.

Attamen praeter hos locos de quibus adhuc disputaui haud exiguus eorum locorum numerus est, quibus maiore siue minore confidentia alterius utrius codicis scripturam ueriorem dicere possumus. Atque hac in re saepius Vossiano quam schedis adsentiendum esse intellegemus. Velut statim in prima scheda ubi uersu V 44 Lentulus consul senatoribus ut Pompeium ducem eligant suadens his uerbis utitur de consulari sua potestate finienda:

nostrum exhausto ius clauditur anno.

Sic *BA;* EXACTO cum multis aliis libris *C*. Hanc enim scripturam ex glossa *exhausto* participii irrepsisse manifestum est. Quamuis *annum* quidem *exhaurire* ab alio scriptore dictum non inueniam, innumeri tamen sunt loci quibus *labores, pericula, bella exhaurire* ueteres dixerunt, et reuera ille annus consularis Lentulo eiusque collegae periculorum laborumque plenissimus fuerat, ita ut huic loco *exhausto* illud pro trito et uulgari *exacto* aptissimum sit. — Obiter tantum moneo, V 69 ABDVCTA in *C* scriptum pro uulgato *obducta* quod unice uerum *B* quoque praebet, non uideri cum Detlefseno librarii cuiusdam errori tribuendum esse, cum eadem falsa scriptura etiam in aliis codicibus reperiatur. — Nec magis simplici errori tribuendum uidetur quod in uersu V 85:

81 Vt uidit Paean uastos telluris hiatus
Diuinam spirare fidem, uentosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
85 Incubuitque adyto, uates ibi factus, Apollo —

APOLLOEST scriptum est in *C*, cum omnes relicui codices EST illud omittant. Quod enim in protasi *Paean* est, superuacaneum uideri poterat *Apollo* nomen in apodosi additum; *adyto* igitur uoce prius enuntiatum finiendum nouumque a *uates* uoce incipiendum existimauerunt, cui ne uerbum desideraretur EST in fine additum; simillima eius uarietatis origo est, quam Suecicus I Cortii praebet: *uatesque ibi factus Apollo.* Quae difficultas facillime tollitur maiore post *antris* uocem interpunctione posita. Nescio tamen an non aliud quid mutandum sit. In *B* enim ante *ibi* aduerbium altioris litterae rasuram inueni, ut *sibi* olim fuisse coniecerim; eodemque modo Heinsius, quem hoc codice usum esse Burmannus tradidit, hunc locum emendauit. Etenim *ibi* aduerbium hic languidi aliquid habet, cum loci designatione uix opus esse uideatur, collatoque persimili ethici quem grammatici uocant datiui exemplo X 115: *stabatque sibi non segnis Achates* uix dubito Heinsii emendatione recepta scribere: *sacris se condidit antris, Incubuitque adyto, uates* SIBI *factus, Apollo.* — Difficilior locus est VI 223. Quem cum plerique libri sic scriptum exhibeant: (de ursa iaculo uulnerata, cui caecum Scaeuae furorem comparat, poeta loquitur):

Se rotat in uulnus, telumque irata receptum
223 Impetit et secum fugientem circumit hastam —

in schedis legitur IMPEDITHOCSECVM. *Impedit,* quod etiam pauci Cortii libri habent, Heinsius recepit. Quam schedarum scripturam librarii errori tribuendam putat Detlefsenus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neque ipse prius eandem sententiam sequi dubitaui. Cum enim *impedit* et *impetit* facillime inter se commutari potuerint, HOC illud quamuis mira esset discrepantia, non minus reiciendum esse putabam quam PATER pro *sacer* V 73, de quo supra dictum est. Nec tamen hac in sententia acquiescendum esse censui, quia, cum PATER illud ex PATRI *Bromio* nomini addito irrepsisse statui possit, in hoc uersu nullam omnino rationem excogitare potui, qua HOC pronomen pro *et* siue fortasse *ac* particula substitutum esse credendum sit. Atque aliam tandem uiam repperisse mihi uideor, qua non solum schedarum scriptura seruari sed etiam eius postea mutandae caussa demonstrari possit. Nescio enim an non haec genuina illorum uuersuum scriptura fuerit: *Se rotat in uulnus telumque irata receptum;* IMPEDIT HOC, *secum* ET *fugientem circumit hastam* —, ut haec sit sententia: Vrsa irata se in uulnus telumque receptum rotat, hoc telum impedit et hastam secum fugientem circumit. Hastam enim corpori inhaerentem dentibus petens euellere tamen non ualet sed potius retinet siue impedit. Concedo tamen huic constructioni etiam *impetit* uerbum bene conuenire: haec uero mutatio nihil difficile in se habet. Facili enim transpositione *et secum* scribi potuit, ita ut *hoc* illud postea loco suo moueretur. — Etiam quod FACIE legitur in *C* u. 225 pro uulgata scriptura quae in *B* est:

stetit imbre cruento

Informis facies —

id quamuis haud multum absit a Berolinensis codicis et Cortii lectione *faciem*, tamen glossa tantum putanda est inde orta, quod non intellegerent librarii quam uim haberent *Stetit facies* uerba. Iam scholiasta '*stetit: horruit*' rectissime interpretatus est allato loco Vergiliano Aen. XII 407: *iam puluere coelum Stare uident,* cui *stantes oculi* ex Ouidii fastis VI 133 addi poterant: simillime Lucanus V 216: *Stat nunquam facies.* — V 289 VETAT in *C* pro *uetant* in relicuis libris scriptum ideo tantum affero, quia in *B* plurali numero singularis suprascriptus est; nec tamen probo, quamuis Cortius VETAT defendat loco Statii Theb. VIIII 876, ubi pro *patebant* in uno codice item falsum *patebat* legitur. — Nec TVMVLVMQ· VI 274 quisquam defendet pro unice recto *cumulumque,* quod errore tantum *cum mulumque* scriptum est in *B*. — Scripturam partim ueram partim falsam deprendi VI 237:

Nec uidit recto gladium mucrone prementem.

sic enim *B*, VIDETER*recto* *C* solus, TREMENTEM *C* cum multis libris, *tenentem* alii. Inter *credidit* enim et *excepit* perfecta VIDET praesens locum habere non uideretur eaque de caussa reiciendum, nisi aequo iure eadem de caussa VIDET ERECTO in *uidit recto* mutatum esso dicere posses. Mihi autem qui Lucani hac in re neglegentiam multis exemplis cognouerim (cf. VI 128, VI 225, V 162—163), quantumuis tempora mutata improbem, talis scriptura a poetae consuetudine non tam abhorrere uidetur, ut eam reiciendum ducam. Minus tamen TREMENTEM probare possum; *prementem* propter rationes iam a Cortio allatas unice uerum habendum est, ex cuius uerbi glossa *tenentem* postea irrepsit. Quam facile uero *prementem* in *trementem* mutari potuerit non opus est pluribus demonstrare; satis erit attulisse u. VI 261 ubi ipsae schedae TEMTLA habent pro *templa*. — Veterem glossam inesse puto uersui VI 252, ubi dubitari nequit quin DEFESSVM in C non nisi languida *defectum* lectionis sit interpretatio. — Nec magis schedarum scriptura probanda est VI 269:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hinc uicina petens placido castello profundo
Incursum gemini Martis rapit.

Sic *B*, PROFVDO et INCVRSV GEMINAE *C*. GEMINAE scriptum uidetur quia librarius *mortis* pro *Martis* legebat. At ne INCVRSV quidem, quamuis in multis codicibus et editionibus legatur probabimus. Qua scriptura recepta *rapit* uerbum obiecto careret, cum *castella uicina* accusatiuus participii *petens* obiectum sit. Nec minus bene *incursum rapere* dici potuit quam *cursus rapere* V 403 et *gressus rapere* III 116; in *C* circumflexus tantum V litterae imponendus omissus est, sicut in PROFVDO quoque factum est. — Etiam uersus eos qui sunt VI 317:

Temptauere sui comites deuertere Magnum
Hortatu, patrias sedes atque hoste carentem
Ausoniam peteret —

ubi SVO, PATRIAE, ADQ· *C*, *hortati b* ex corr., ita ut supra cum *B* scripti sunt probandos duco. *Suo* enim *hortatu* languidum est, *hortati* fide caret; *sui* contra ad *comites* addito uel ipsius Pompei comites illi reditum in Italiam suasisse consulto ostenditur. PATRIAE iam a Detlefseno reiectum est. — Magnam in libris uarietatem habet u. VI 330:

Sic fatus, ad ortus
Phoebeos conduxit iter.

Ita *B*, *conduxit* tamen uerbo altera manu suprascriptum est: *praecepit uel conuertit;* CONDIXIT *C*, *committit* et *contendit* alii. Arridet primo aspectu CONDIXIT illud, quod ex uno Pulmanni codice Heinsius quoque receperat: falluntur tamen qui, cum *tempus coeundi condicere, inducias condicere, in diem condicere* et similia inueniantur apud scriptores, inde hic quoque huius uerbi locum esse putant (quod enim aptius esset exemplum, *bellum condicere* a Cortio allatum nusquam inueni). Vbicunque enim *condicendi* uerbum legitur, plurium siue hominum siue partium consensum indicat, uelut qui *coenam condicit*, inuitatus se uenturum esse promittit: neque uero usquam de uno tantum homine qui sine aliorum consensu aliquid constituit siue imperat dictum est: tum enim *indicendi* uerbum locum habet. *Praecepit* et *conuertit* glossemata sese ipsa produnt, nec *committit* nec *contendit* quod Bentleius uolebat satis fidei habent. Contra *conduxit* non tantam praebet difficultatem quantam ipse non minus quam alii putabam. Cum enim usitatissimum uerbum sit in re militari, ut Caesar *exercitum conducere* saepius scripsit pro eo quod est 'in unum locum colligere', cuius rei exempla in lexicis quaeras, apte dici potuit de Pompeio qui totum exercitum collectum orientem uersus ducit. Etenim quod non *exercitum* sed *iter conducere* Lucanus scripsit, neminem offendet qui sciat saepissime *iter* per metonymiam pro *euntibus* ipsis dictum esse. Itaque *B* codicem ueram scripturam praebere censeo. — Similis discrepantia occurrit V 301:

Fata sed in praeceps solitus committere Caesar —

ubi DIMITTERE *C* cum quibusdam aliis, *demittere* relicui omnes praeter *B* habent. DIMITTERE quidem reiciendum esse facile intellegitur, cum *in praeceps* uerbis non conueniat; tamen utrum *committere* an *demittere* uerior scriptura sit difficile dictu est. Cum enim hoc uerbum usitatissimum sit de iis qui deorsum mittuntur siue deiciuntur, *in praeceps* uerbis quam maxime conueniens est. Contra *committere* non minore iure defendi potest: sicut enim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Liuius *in praeceps dare* scripsit XXVII, 27, pro 'summo periculo committere', ita hoc quoque loco optime scribere Lucano licebat '*in praeceps committere*, qui VIIII 372 scripserit: *Audet in ignotas agmen committere gentes;* mihique ut dicam quod sentio haec scriptura ratione magis quam illa commendari uidetur: huic enim uocabulo minus usitato facile tritum illud uerbum tamquam glossa adscribi in uerborumque seriem postea recipi potuit.

Denique quattuor locos habeo quibus schedarum lectio Vossianae scripturae sine dubio praeferenda est. Primum V 210 LOCTAE falso quidem scriptum est, ueram tamen LOCVTAE lectionem cum multis aliis libris indicat: errore postea ex ea languida *locuta est* siue potius *locuta ē* (sic enim est in ***B***) nata est. Tum VI 219 TELVMQ· scribendum, non *ferrumque* cum ***B***, quae glossa est ex uersu 217: *Ille moras soluit ferri* nata. — Deinde VI 256 *nudo pectore*, quod ***B*** habet, quamuis non minus offendat, reiciendum tamen est schedarumque scriptura NVD*um*, ut magis poeticae consuetudini conueniens, probanda. — Denique uati V 197 Apollo *fauces* non *obstruxit*, ut ***B*** habet, sed OBSTRINXIT, quod cum schedis Bentleius quoque legere uolebat. Quamuis enim illud uerbum usitatissimum sit, tamen etiam *uiam uocemque obstringere* dixit Ammianus XXX, 6; *obstrictis uentis* Horatius habet Carm. I, 3, 4, ut etiam *fauces obstringere* poetae licuisse credendum sit. Rursus uidemus, usitatum uerbum remotioris locum occupasse. —

Omnibus igitur locis, quibus consideratione digna discrepantia uel consensus ***BC*** codicum inuenitur, diligenter examinatis eo peruenimus ut de alterius utrius codicis praestantia et de loco schedis in Lucani emendatione tribuendo sat certo iudicare possimus. Atque ut in omnibus scriptoribus, quorum tam antiqui codices casu quodam secundo aetatem nostram tulerunt, maximam eis auctoritatem tribuendam esse certum est, ita has quoque schedas primum in emendando Lucano locum tenere existimo. Caue enim ne propter eorum locorum multitudinem, quibus ***B*** codicis scripturam schedarum scripturae praeferendam esse dixi, et exiguum eorum locorum numerum, quibus schedarum scripturam praestare demonstraui, eas me Vossiano ***B*** inferiores habere credas: imo contrarium inde consequitur, si minus numerum locorum quam ipsius scripturae discrepantiam spectes. Quattuor enim horum locorum genera discreui: primum eorum, quibus ***BC*** easdem scripturas a relicuis libris discrepantes tuentur; alterum eorum quibus ***B***, tertium eorum quibus ***C*** ueram poetae scripturam praebet: quartum denique eorum, quibus utrius codicis uerior sit scriptura ex sententia diiudicari nequit. Qui primi generis loci sunt eos hic omitto. Alterius autem generis loci, qui sunt V 69, 85, 289, 301, VI 225, 237, 252, 269, 274, 317, 330, si ipsam discrepantiam spectas fere omnes ita comparati sunt, ut ea minima sit nec solum in ***C*** sed etiam aliis in libris occurrat. Quamquam hanc ob caussam eam simplici librariorum incuriae ascribere nolui: cauendum tamen ne quis nimia inde coniectum eat. Est enim genus quoddam discrepantiae, quod in omnibus fere codicibus, non Lucani tantum sed aliorum quoque scriptorum plus minusue occurrit: similium uocum siue eiusdem uocis casuum permutationes dico, quae fiunt uelut *tunc* et *tum*, *abducta* et *obducta*, *laborum* et *malorum*, *contactusque* et *contactumque* sexcentisque aliis inter se permutatis. Cuiusmodi ex discrepantiis hic illic occurrentibus ualde falleretur qui certas de cognatione uel pretio codicum coniecturas propositurus esset, cum eae casui potius quam ulli certae rationi tribuendae sint. Quae discrepantiae cum fere omnes huius sint condicionis, his locis maior ***B*** codicis aucto-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ritas minime demonstratur. Sunt tamen tres quattuorue loci quorum disceprantiis ueteres glossae subesse putandae sint, inter quos refero APOLLOEST V 85, DEFESSVM VI 252, SVO VI 317, cum DIMITTERE V 301 errore ex ueteri *demittere* glossa ortum esse putandum sit; quae glossae praeter V 85 in aliis quoque libris reperiuntur. His igitur iam antiquissimo tempore Lucani uerba obruta fuisse intellegitur. — Contra eorum locorum, quibus ***C*** meliorem quam ***B*** scripturam praebet, prorsus diuersa condicio est. Qui sunt V 53, 197, 210, VI 219, 223, 237, 256, pauci quidem numero; in plurimis tamen ***B*** codicis scriptura, multo magis praeterea quam in alterius generis locis recedens a schedis, glossatoris manum aperte indicat, nisi quod V 210 ***locuta est*** pro ***locutae*** errorem magis quam diuersam scripturam nominare possumus. Neque id mirabimur, cum praecipue post schedarum demum aetatem Lucanus dedita opera explicari et si dis placet emendari coeptus est. Multo magis igitur his lectionibus schedarum auctoritas firmatur, quam alterius generis locis minuitur. — Superest quartum genus eorum locorum, quibus aeque aptam scripturam ***B*** et ***C*** praebent, qui sunt V 50, 91, 155, 206, VI 244, 312. In his autem nihil obstat quominus antiquiorem scripturam etiam ueriorem putemus, posteriorem autem glossatori tribuamus, pleraeque ceterum uariae lectiones eiusdem condicionis sunt quam supra in altero genere significaui; uno loco uel in ***C*** duplex est scriptura (V 206). — Hinc igitur praestantia et auctoritas schedarum sat demonstratur, simul autem eas nullo cognationis uinculo neque cum ***B*** neque cum ullo alio codice cohaerere consequitur. Itaque unum hoc dolendum est, tam exiguam tantum optimi codicis partem ad nos peruenisse, quamquam ne hunc quidem librum interpolationibus prorsus caruisse intelleximus. At bene sit Detlefseno qui tanta cum diligentia reliquias saltem publici iuris fecit; quam maxime cum illo opto ut aliae quoque librorum Lucani rescriptorum partes Romae et Neapoli seruatae in publicum edantur. Interim in aliis Lucani partibus et emendandis et ab interpolationibus liberandis semper ***B*** codicem, cuius praestantia rursus eo ostenditur, quod ubicunque eandem quam ***C*** scripturam praebet a relicuis diuersam, eam probandam esse uidimus, tanquam optimum ducem sequemur simul cum Monte pessulano, quem me fortasse ad conlationem instituendam nacturum esse gratam spem, quamuis non nimis certam, animo iamdiu foueo. Qua spe finem huic scriptiunculae imponere possum, quam maxime optans ne eis prorsus improbetur penes quos his de rebus est iudicium.

Scribebam Soltquellae Kal. Mart. A. CIƆIƆCCCLX.

Guilelmus Steinhart.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf